DISSERTATIO INAVGVRALIS
MEDICO-CHIRVRGICA

DE

PVERO XII ANNORVM ANCHYLOBLEPHARO LABORANTE CVRATO,

QVAM

PRAESIDE

CAROLO FRIDERICO KALTSCHMIED

Philosophiae et Medicinae Doctore

Serenissimi Ducis Saxo-Vinariensis et Isenacensis Consiliario Intimo Cameralium, Serenissimi Marchionis Brandenburgici Culmbac. et Serenissimi Landgrauii Hasso-Darmstad. Consil. Aulic. et Medic. Anatomiae, Chirurgiae et Botanic. Professore Publico Ordinar. Comite Palatino Caesar. Acad. Imp. Naturae Curiosor. Collega, Academ. Elect. Mogunt. Scientiar. vtilium Adsessore, Societat. Elegant. et Sublim. Teuton. Ienens. Inspectore, Physico Prouinc. Ienens. Facultatis Medicae Seniore

PRO GRADV DOCTORIS
IVRIBVS AC PRIVILEGIIS DOCTORALIBVS
MORE MAIORVM RITE OBTINENDIS

DIE XII. DECEMBRIS CIϽ IϽ CC LXIIII.

PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTIT

AVCTOR

CHRISTIAN. GOTTH. GNADENREICH BARCHEWITZ

LVSATVS.

IENAE, LITTERIS MARGGRAFIANAE VIDVAE.

DISSERTATIO INAVGVRALIS

DE

PVERO XII ANNORVM ANCHYLOBLEPHARO LABORANTE CVRATO.

§. I.

Puero XII annorum ab alio per iocum siue petulantiam portio pulueris calcis viuae in oculum sinistrum coniicitur, vt doloribus ac inflammatione cum febre obortis vitae periculum subiret. Multo tamen labore febre, doloribus ac ophthalmia fugatis, palpebrae oculi non solum ita coalue-

runt, vt vix interior oculi angulus quodammodo apertus lacrymis exitum concederet, ſed et tunica cornea palpebrae ſuperiori firmiſſime iungeretur. Ad DOMINVM PRAESIDEM puer poſt annum dimidium delatus opem petiit.

§. II.

Aegroti palpebrae concretae oculis ſe manifeſtabant; cohaeſio vero corneae cum palpebra ſuperiori exinde patebat, quod, vbi dexter oculus ad vnum alterumque latus moueretur, ſiniſtra pupilla cum palpebra ſuperiori cohaerens eundem motum tentans, per cohaeſionem vero cum palpebra impedita dolores ſentiret ſatis vehementes, partemque coalitam ſimul mouendo cohaeſionem manifeſtaret.

§. III.

Partes corporis molles contiguas quacunque data occaſione vulneratas vel exulceratas, niſi contactus earum ante ſanationem impeditur, coaleſcere, ac fir-

firmiſſime cohaerere, quotidiana docet experientia.

§. IIII.

Quando palpebrae vel a cauſa externa, vel interna ita laeduntur, vt, exulceratione ſuborta, vel inter ſe, vel cum oculo ipſo concreſcant, anchyloblepharum audit.

§. V.

Poſſemus hic partim varias anchyloblephari ſpecies narrare, earumque diuerſas cauſas, vel externas, vel internas explicare; ſed cum breuitati ſtudere debeamus, curam ſaltem et ſymptomatum euolutionem praeſentis caſus tradere apud me conſtitui.

§. VI.

Cauſa in noſtro caſu ex hiſtoria morbi §. I. tradita patet, vbi ex calce viua inſperſa, et inde ſuborta oculi inflammatione et exulceratione concretio palpebrarum inter ſe et ſuperius palpebrae

cum oculo producta et hinc anchyloblepharum natum fuit.

§. VII.

Pueri noſtri oculus peſſimam anchyloblephari ſpeciem ideo expertus, quod cornea ſimul cum palpebra ſuperiori coalita dolores in oculi motu pareret.

§. VIII.

Dolor eſt ſenſus triſtis in corporis noſtri partibus mollibus ab irritatione ortus.

§. VIIII.

Irritatio eſt ſolutio continui in fieri, vel roſione vel tenſione orta.

§. X.

Oculus igitur aegri noſtri motum alterius oculi ſequens dolores pro gradu motus ſentiebat, cum fibrae palpebrae cum cornea cohaerentes corneam tenderent.

§. XI.

Dolores hi, qui quotidie puerum cruciabant, in caufa erant, quod malum vlterius perferre non poffet, cum quotidie metus inflammationis parentes follicitaret, vt quaeuis remedia tentarent. Fruftra hinc variis remediis lenientibus adhibitis, cum ab operatione abhorrerent chirurgica, neceffitate tandem coacti DOMINVM PRAESIDEM adierunt.

§. XII.

Aliud coalitae palpebrae et oculi cum palpebra fuperiori concretio auxilium puero non fuperérat, quam vt

I) palpebrae praeter naturam coalitae cultello chirurgico fepararentur.

II) cornea cum palpebra concreta fepararetur.

III) ſeparatio harum partium perpetua ſeruaretur.

IIII) ſymptomatibus proſpiceretur.

§. XIII.

Immiſſo igitur in angulum interiorem oculi cultello curuo lenticulato, DOMINVS PRAESES verſus angulum oculi externum ſecando pergit, palpebrasque coalitas felici manu disiungit.

§. XIIII.

Palpebram corneae adnatam lanceola adgreditur, eandemque itidem a cornea ſeparat, iamque palpebram ſuperius leuare, oculumque hinc inde mouere aeger, pauca tamen viſu diſtinguere poterat, maculis hinc inde in cornea albicantibus in conſpectum venientibus.

§. XV.

Antequam curam aegri perſequar, neceſſarium duco, quaedam de operatione palpebrae ſiue remotione

tione huius ab oculi cornea monere. Difficultas ſcilicet operationis in eo vtplurimum haeret, vt dolores ex operatione obortos aeger perferre non poſſit, et hinc caput corpusque hinc inde moueat, chirurgique manus impediat.

§. XVI.

Dolores hinc ab operatione vtplurimum oriundi egregie praecauentur, vbi lanceolae ſuperficies polita oculi ſuperficiei firmiter imponitur, et firma manu lanceolae acies verſus fibras iungentes mouetur, vt hae preſſione quaſi disiungantur, nec lanceola hinc inde mota diſcindantur. Eiusmodi modus operandi quoque citius abſoluitur, cum citius tractum partis coalitae diſſoluere vno momento poſſimus, quam ſi decies quaſi ſectio-

nem reiterare, et quafi fingulas fibrillas cohaerentes feparatis operationibus et fectionibus tentare adnitimur. Nec vel acie, vel acu corneae ipfius fuperficiem tangimus inter operandum, nel vulnera corneae inferimus inuiti.

§. XVII.

Remota igitur praeternaturali palpebrarum ac oculi concretione neceffarium erat, oculo et palpebris profpicere, ne palpebrae inter fe vel cum oculo denuo concrefcerent.

§. XVIII.

Operatione igitur peracta primo quidem linteaminibus difcerptis fubtiliffimis ac molliffimis

cum

cum aqua rosarum saccharo canariensi impraegnata oculo immissis palpebra superior a cornea oculi tunica ac palpebrae inter se separatae tenebantur, ac pomis Borstorffianis coctis oculus fouebatur, donec circa noctem puer quietem postularet, quae, cum dolores fotum non vrgerent, ipsi concedebatur, exhibito prius puluere ex anatica portione pulueris epileptici Marchionis et pulueris antispasmodici.

§. XVIIII.

Nocte quidem placide peracta, sequenti die inter deligandum oculi quaedam rubedo ac dolores remedia postulant, immissis igitur linteaminibus discerptis cum aqua rosarum, tutia et saccharo canar. impraegnatis sacculi cum rad. valer. hb. valer. eu-

phraſ. et ſem. foenic. repleti in dimidia parte vini et aquae fl. ſamb. cocti ſuperimponuntur, qui per diem rubedinem oculi et dolores fugant, noctemque placidam conciliant.

§. XX.

Sequenti tamen die aeger linteamina discerpta etiam molliſſima accuſat, quod oculo ſenſum quendam parerent ingratum. Hinc DOMINVS PRAESES laminam ad oculum concauam adcommodatam ex ebore confectam ſat politam intra palpebram ſuperiorem et oculum immiſit, quae et palpebrarum contactum prohibuit, ita tamen, vt per diem aliquoties eximeretur, ac per horam oculus quietus maneret, iniectis ſaltem per interualla guttulis aliquot collyrii ante dicti.

§. XXI.

§. XXI.

Praeterlapſis quatuordecim diebus, aeger oculo colores diſtinguere coepit, ac vulnuſcula conſolidationem ſpondebant, eandemque poſt XX dies exhibebant.

§. XXII.

Iam maculae corneae viſum impedientes opem poſtulabant, neque remediis omnem ſpem denegabant, cum in dies oculi obſcuritas mitius videretur aegrum adfligere.

§. XXIII.

Adhibitis igitur per intervalla laxantibus ex rad. Gialappae et ☿ Dulci ac antiſcorbuticis medicamentis ter in dies immittere oculo curauit DOMINVS PRAESES grij ſequentis pulueris:

℞ ſacchar. canar. ſubt. pulveriſ. ʒj
tut. ppt. ʒß
lapid. ardeſiae ℈j
⊕ alb. griij
M. F. ☿ D.

quo

quo puluere per IIII ſeptimanas adhibito plurimae maculae vel euanuerunt, vel magis pellucidae factae ſunt.

§. XXIIII.

Impatientiam tandem pueri parentes accuſant, quod pulueris immiſſionem admittere nollet, hinc ſequens linimentum adhibitum:

℞ pingued. viper. rec. ℥ij
ſacchar. canar.
tut. ppt. aa. ℥ſs
MD.

Hoc linimento marginibus palpebrarum interius ter in dies adhiberi iuſſit, ac poſt III ſeptimanarum vſum oculi pelluciditatem cum Deo reſtituit.

NOBI-

NOBILISSIMO

DOCTISSIMOQVE

DOMINO DOCTORANDO

S. P.

PRAESES.

Per breue tempus, quo nobis innotuiſti, elegantiam aeque doctrinae ac morum nobis ſatis probaſti, coetumque noſtrorum candidatorum ornaſti. Perge ſtrenuis conatibus artis ſalutaris amoenita-

nitates ſectari, animumque impigre excolere, quo olim et patriae et familiae, mihi chariſſimae, ſis ornamento, optimae matri gaudio, aegrotisque ſolatio, diuinamque benedictionem confidenter expecta. Vale. Ienae die IIII. *Decembr.* CIↃ IↃ CC LXIIII.

Mein

Mein Bruder! bester Freund! geliebter
Sohn der Musen!
So ziert Dich heut mit Ruhm der würdge Docter-
Hut!
Es schlägt für Dich bewegt mein brüderlicher
Busen;
Und frohe Lust durchströmt mein zärtlich wal-
lend Blut.
Beglückter Tag! da Du nach Mühe und Be-
schwerden
Zu Deinem künftgen Glück den ersten Grund-
Stein legt;
Es wird nach klugem Riß zur Höh vollen-
det werden,

Da stets Dein Fleiß zum Bau geschickte Steine trägt. — — —
Bekümmert hast Du zwar so manche Nacht durchwachet,
Doch sieh! es steigt dereinst das Werk zum Cranz empor,
Der heutge EhrenTag, der Dir mit Beyfall lachet,
Stellt Dir in Hoffnung schon die beste Zukunft vor;
Ich bin dem Geiste nach bey Dir mit vollem Herzen,
Mein Bruder! tausendmahl Dir Wünsche treu zu weyhn.

Und

Und wär ich nicht entfernt', so würd in sanften Scherzen
Die Freude meiner Brust gedoppelt feurig seyn.
Doch komm nur bald einmal in unsre holde Fluren,
Du wirst willkommen mir und meiner Freundin seyn!
Die beste Mutter eilt entgegen Deinen Spuren;
Umarmend wird ihr Wunsch und Seegen Dich erfreun.
Indessen lebe wohl! vergnügt seh ich Dich wieder!

Daß bald Dein Anblick uns in reiner Freude
glänzt.
Sey Du der Glücklichste der Dir ergebnen
Brüder!
Den Kunst und Tugend stets mit Ehr und
Ruhm umkränzt.

Breßlau
den 12. December.
1764.

Hiermit empfiehlet sich Dir abwesend
Dein
redlicher Bruder
A. G. Barchewitz.

ERNESTI ANTONII NICOLAI
FACVLTATIS MEDICAE H. T. DECANI
PROGRAMMA
DE
VIRTVTIBVS SVLPHVRIS ANTIMONII AVRATI
QVO
DISSERTATIONEM INAVGVRALEM
PRAENOBILISSIMI
SVPREMORVM IN MEDICINA HONORVM
CANDIDATI
CHRISTIANI GOTTLIEB GNADENREICH
BARCHEWITZ
LVSATI
DE PVERO XII ANNORVM ANCYLOBLEPHARO
LABORANTE CVRATO
DIE XII DECEMBRIS MDCCLXIV. HABENDAM
INDICIT.
II.

IENAE
EX OFFICINA FELICIS FICKELSCHERRII.

Recenſet illuſtris b. m. HOFFMANNVS in diſſertatione ſua antea allegata, ſe quondam verbi divini miniſtrum ſulphure antimonii aurato et veronicae infuſo reſtituiſſe, qui ſcabie maligna inſtar leprae in artubus laboravit, quos ſimul duri glandularum tumores in cute inſtar globorum haerentes occupabant. Quum vero ſulphur antimonii draſticae virtutis non plane ſit expers, ſed in majori doſi ad grana ſex vel octo adhibitum, praeſertim cum cremore tartari, vomitum excitet, ſuadet, vt caute illud vſurpetur in debilibus. Sulphur antimonii martiale ſuum maximis extollit laudibus in expediendis graviſſimis obſtructionibus et excretionibus urinae et ſudoris promovendis, cachexia, hydrope, haemorrhagiis, inter-

termittentibus febribus etc. Illud ſequenti ratione praeparatur: ſcilicet lixivium ſcoriarum reguli antimonii ſimplicis praecipitatur cum ſolutione vitrioli martis; ita in momento color exſurgit atramentoſus et pulvis in fundum eiusdem coloris ſuccedit; vtpote, coeuntibus acidi vitrioli partibus cum ſale lixivioſo hac ratione non tantum ex lixivio antimoniali particulae ſulphureae, ſed etiam ex ſolutione vitrioli martiales ſulphureo-terreae praecipitantur, vt adeo pulvis hic martialis et antimonialis ſit proſapiae, qui bene eluendus et deſuper ſpiritu vini accenſo corrigendus eſt. Hactenus HOFFMANNVS. Anno MDCCXX. prodiit Halae Magdeburgicae Praeſide MICHAELE ALBERTI *Diſſertatio Io. Chriſtiani Roempleri de catarrho ſuffocativo efficaci quodam remedio tractando*, quod eſt ſulphur antimonii auratum vltimae praecipitationis cum tartaro vitriolato aequali pondere mixtum, ita, vt doſis mixti hujus pulveris duodecim grana habeat. Praeparare jubet Autor hujus diſſertationis ſulphur antimonii auratum ex reſiduo ſeu ita dicto capite mortuo tincturae antimonii illius, quae ex duabus partibus ſalis tartari et vna parte antimonii mediante ſpiritu vini rectificatiſſimo paratur, illud cum ſufficiente aqua coquitur, ſic ſpiritus, qui in

siduo residuus fuit, avolat, aqua autem colore tingitur rubicundo, solvit alcali cum sulphure antimonii aurato conjunctum fitque lixivium, quod per chartam bibulam filtratur, deinde sulphur antimonii auratum ex hoc lixivio separatur per praecipitationem, quae acido, vt aceto vini destillato, tartaro vel cremore tartari aqua calida soluto, vel spiritu vitrioli perfici potest, Autor vero aceto vini destillato perfici suadet. Quod primum cadit, sulphur antimonii auratum colore rubro et saturato conspicuum removeri, quia crassius est majorique vi emetica praeditum, nec interne adhiberi suadet, illud autem sulphur antimonii auratum, quod post remotam crassiorem portionem cadit et aureum fere colorem refert, vsui interno destinat et sic praeparatum sulphur antimonii magnis laudibus extollit in catarrhis, praesertim suffocativo, omnium catarrhorum periculosissimo, asthmate spastico et sicco, tussi sicca, pectoris oppletione mucida. Si datur ad grana sex vel solum vel cum totidem granis tartari vitriolati adultis, prima dosis plerumque vomitum, saepe purgationem, reliquae autem doses, si non statim et eodem, quo prima dosis fuit exhibita, sed altero vel tertio demum die exhibetur, modo purgationem, modo diaphoresin efficiunt, modo nullam evacuationem

nem ſenſibilem producunt ſed ſpasmos et dolor... dant. Saepe a prima ejusmodi doſi nullus vomit... nedum ſequentibus, fuit in adultis excitatus, ea vero omnia valent tantummodo de ſulphure antimonii aurato modo Roempleri deſcripto praeparato, nam virtutes hujus ſulphuris, ſi vel maxime in eadem exhibetur doſi, variant pro diverſa eius praeparatione. Anno MDCCXXXVII. prodiit *Halae Magdeburgicae Diſſertatio Adami Bernhardi Regenhertz de ſulphuris antimonii aurati vſu medico in arduis quibusdam, praecipue lymphaticis, morbis Praeſide Mich. Alberti.* Autor huius diſſertationis decem ſulphur antimonii auratum praeparandi modos deſcripſit. Attribuit ei vim emeticam, purgantem, diaphoreticam, reſolventem, diſcutientem et anodynam, ſi interne varia in doſi datur, et magnis laudibus extollit eius vtilitatem in affectibus ſcabioſis et venereis, vlceribus malignis, obſtructionibus, tumoribus, ſpasmis, doloribus, exanthematibus ſine febre et cum febre coniunctis. Anno MDCCL. Halae in lucem emiſſa fuit a *Ludovico Chriſtiano Iunckero diſſertatio medica inauguralis de damno ex ſcabie repulſa et remedio illud avertente.* Autor hujus diſſertationis ſulphur antimonii auratum vltimae praecipitationis methodo Roempleri

 para-

...m egregium et praeclarum in ſcabie repulſa ...pellenda edere effectum hancque ejus praeclaram ...rtutem in noſocomiis orphanotrophei Halenſis multis exemplis diu confirmatam eſſe, quid? quod vbique poſt ſcabiem repulſam et in omnibus morbis ex ſcabie retroacta ortum trahentibus felicem producere et produxiſſe effectum contendit. Haec autem qualiacunque vt proponerem, opportunam occaſionem dedit *diſſertatio de puero XII. annorum ancyloblepharo laborante curato*, quam ſub praeſidio VIRI PERILLVSTRIS CAROLI FRIDERICI KALTSCHMIED, die XII Decembris publice more conſueto defendet

VIR IVVENIS PRAENOBILISSIMVS AC DOCTISSIMVS
CHRISTIANVS GOTTHILFF GNADENREICH
BARCHEWITZ
MEDICINAE CANDIDATVS DIGNISSIMVS,

qui nunc ipſe vitam ſuam hucusque in praeclaris ſtudiis laudabiliter peractam exponet.

Ego CHRISTIANVS GOTTHILFF GNADENREICH BARCHEWITZ natus ſum anno hujus ſeculi quadrageſimo in pago Goerlicio vicino, Tieffenfurth dicto, patre IOANNE SYLVEST. BARCHEWITZIO, ſacrorum antiſtite et probatae ſanctitatis apud Tieffenfurthen-

thenſes Sacerdote, et Matre MARIA MAR
gente SCHAEFFERIANA. Patre jam quint
meae anno orbatus Goerlizium a matre m
a beato VRBANO CANTORE, cujus cineres ve
prima religionis pariter ac litterarum fundame
hauſi, quibus inſtructus Gymnaſium, quod floret Goerlicii, frequentavi. Anno hujus ſeculi ſexageſimo Menſe Aprili Lipſiam acceſſi, et a Magnifico BOEHMIO, tunc temporis res academicas dirigente, albo civium academicorum inſcriptus fui. In Philoſophicis, Logicis, et Phyſicis excell. WINCKLERO, in Mathematicis CLARISS. M. RVDOLPHO vſus ſum praeceptore. Animo itaque ad medicinam pertractandam praeparato anatomen et rem herbariam duce BOSIO colui; beatus IANCKIVS artem obſtetriciam et diſſecandi cadavera mihi tradidit, et GEHLERVM, Mineralogiam, Materiam medicam, formulas conſcribendi modum, Phyſiologiam, Chemiam, et artem obſtetriciam exponentem audiui. A BOERNERO Materiam medicam, methodum conſcribendi formulas et Pharmaciam hauſi. In Pathologia Therapia generali Praxi clinica et Chirurgia vt et Medicina forenſi Magnificum LVDWIGIVM praeceptorem habui, cui et experientiſs. GEHLERO me valde obſtrictum profiteor.

Cum

ero de ſtudiis finiendis cogitarem, Ienam tuli anno hujus ſeculi ſexageſimo quarto, agnifico Rectore KOECHERO die XXV. s Octobr. in civium Academiae hujus nume- m relatus Facultatem Medicam rogavi, vt ſummis in arte ſalutari honoribus me condecoraret.

Precibus ejus ordo noſter dedit locum et jam probatis in examinibus cum ipſo inſtitutis profectibus ejus eximiis nil amplius reſtat, quam vt in cathedra ſpecimen, diſſertationem nempe *de puero XII. annorum ancyloblepharo* laborante curato publice defendat, id quod die XII. Decembris ſub praeſidio PERILLVSTRIS CAROLI FRIDERICI KALTSCHMIED fiet.

Huic celebritati vt RECTOR ACADEMIAE MAGNIFICVS, ILLVSTRISSIMVS S. R. I. COMES, PROFESSORES OMNIVM ORDINVM CELEBERRIMI, HOSPITES HONORATISSIMI atque COMMILITONES GENEROSISSIMI ET NOBILISSIMI intereſſe eamque honorifica ſua praeſentia ſplendidiorem reddere velint, meo ordinisque mei nomine obſervanter oro rogoque. P. P. in academia Ienenſi d. VIII. Decembr. MDCCLXIV.

(L. S.)